

calidae, emollientibus mistae, per nares, osque, in pulmones assidue ducto.

635. Si vero usquam, hic profecto mali atrocitas citam, tutamque medelam efflagitat.

## SITIS FEBRILIS.

636. Sitis siccitatem, liquorum immeabilitatem, acrimoniam saltam, alcalinam, biliosam, oleosam, putrida excrementa viae primae, pro causa sua habet.

637. Hinc semper fere praesentiam aliquius horum (633.) indicat.

638. Adeoque signat, illa denunciari mala futura, quae produci possunt ex iis causis, quas praesentes esse significat (636. 637.).

639. Quare ei semper maxime in acutis, succurrendum illico est.

640. Quod fit: 1. bibendo aquosa, subacida, nitrofa, demulcentia, calida, saepe, parva copia simul. 2. nares, os, fauces, simili potu fovendo, colluendo, gargarisando. 3. fotus, epithemata. & catablasma ex similibus, hypochondriis circumvolvendo. 4. Clysmatibus similibus injectis, & retentis.

641. Si vero valida sitis una comitetur sum-

summam debilitatem, tum vinosa, imo & saepe spiritibus dictiora, prioribus (640.) miscenda, propinanda tuto erunt.

## NAUSEA FEBRILIS.

642. **N**ausea irritum conatum vomendi significat, cum idēa horro-  
ris; causam ergo habet proximam fibra-  
rum muscularium faucium, oesophagi,  
ventriculi, intestinorum, muscularum ab-  
dominalium leviorē convulsionem; haec  
fit 1°. ab acri, putri, bilioso, in vacuum  
stomachum pulso, in fauces adscendente,  
utraque vēlicante, & irritante, unde re-  
liqua eosdem sequuntur motus; cognoscitur  
ex inedia, halitu putri, ore, lingua,  
faucibus sordidis; vel 2°. oritur a lenta,  
viscida, fluctuante materie, quae in iisdem  
locis natando vellicat; cognoscitur ex sig-  
nis glutinosi praegressi (69. ad 75.) aut  
3°. a ventriculo, oesophago, intestinis,  
& visceribus vicinis leviter inflammatis,  
quod scitur ex signis horum propriis; 4°.  
tandem etiam a memoria rei, quae olim  
assumpta similes nauseas creaverat; 5°. de-  
nique & ab inordinato liquidi nervosi mo-  
tu, undecunque excitato; cognoscitur de-  
lirio, spasmo, vertigine, tremore.

643. Si diu manet, producit inediām, ab-  
sti-